

LEFT
24ColorCard CameraTrax.com
L
0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

JOANNIS WILLMET

ORATIO

DE


ARABUM MERITIS IN LITERIS MEDIO AEVO INSTAURANDIS:

PUBLICE HABITA

DIE XXVII APRILIS A. CIƆ. IƆ. CCC. VII.

QUUM

HISTORIAE ORIENTALIS, CUM CIVILIS TUM LITERARIAE, IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI ETIAM DOCENDAE MUNUS SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.



EX TYPOGRAPHIA CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS,

MDCCCVII.

VIRIS

AMPLISSIMIS ATQUE GRAVISSIMIS

ILLUSTRIS ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS

CURATORIBUS,

SUMMA ERUDITIONIS LAUDE

CONSPICUIS,

SACRUM.

JOANNIS WILLMET

ORATIO

DE

ARABUM MERITIS IN LITERIS MEDIO AEVO INSTAURANDIS.

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS PRAETOR, MAGISTRATUS, VIRI GRAVISSIMI.

ATHENAEI ILLUSTRIS CURATORES, VIRI AMPLISSIMI.

SENATORES, JUDICES, VIRI INTEGERRIMI.

OMNIUM DOCTRINARUM PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI.

MATHESEOS LECTOR INTELLIGENTISSIME.

A DI-

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES REVERENDI, ERUDITISSIMI.

ARTIUM DISCIPLINARUMQUE DOCTORES EXPERIENTISSIMI.

CIVES ET HOSPITES CUJUSQUE ORDINIS, QUOS VEL HUMANIORUM LITERARUM AMOR VEL MERCATURAE SOLERTIA EXORNAT, VIRI OPTIMI, HONESTISSIMI.

VOS, ADOLESCENTES, QUORUM DISCENDI ARDOR INGENIUM NOSTRUM ACUIT, INDUSTRIAM NOSTRAM PROVOCAT, COMMILITONES CARISSIMI.

Quo-

Quoties in hoc Musarum sacrario plurimas, quae illud ornant, hominum maxime illustrium contemplor imagines, quas contemplor saepius, toties animo meo obversatur Ciceronis ejusque amicorum exemplum, qui, cum Athenis in nobilitata Academiae spatia venirent, Platonis, Carneadis, Demosthenis, Aeschinis aliorumque memoria magis movebantur, quam siquando eorum ipsorum aut facta audirent aut scriptum aliquod legerent. Et non minus tamen mihi grata est data iis egregia Pisonis hortatio: studia ista, si ad imitandos summos viros spectant, ingeniosorum esse; sin tantummodo ad indicia veteris memoriae cognoscenda, curiosorum.

Nihil itaque mirum me, hoc loco principum in literis etiam nostris, Scaligeri, Casauboni, Salmasii imagines intuentem, eosque adeo viros in meo mihi quasi conspectu ponentem, gemina cogitatione impleri; altera, qua me jucunda illorum temporum delectat recordatio, quibus maximi hi literarum statores Musis Orientalibus aeque ac Graecis et Latinis nomen dederint; altera, qua simul laeta mihi de nostro aevo affulget spes, futurum aliquando, et futurum forte brevi, diem illum, fervidis saepe votis exoptatum, quo tres hae sorores, indivulso iterum amoris nexu junctae, mutuam sibi opem sint laturae, atque inter eas, parum quidem, quaenam altera sit superior, sollicitas, summae tantum illius laudis futura sit aemulatio, quaenam earum maxime conetur omnium doctrinarum incrementa promovere.

Quid enim non exspectandum, si Orientalium

Mu-

Musarum cultores a Graecis et Latinis accuratam et uberem petant doctrinam; si veri et pulcri sensum; si dictionis nitorem atque elegantiam? Quid, si Philosophos eorum consulant, omnium acutissimos; si Historicos, in factis colligendis et narrandis principes; si Poëtas, tam spiritus magnitudine quam orationis copia, ornatu et venustate insignes? Quid non exspectandum, si Literatores, his dediti, Orientalibus etiam Musis debitos honores tribuant, et tam quae illae olim sibi praestiterint officia agnoscant grati, quam ditissimas, quas offerant, gazas in rem suam adhuc convertant? Nihilne enim esset quod hae sororibus suis aut olim dederint, aut etiamnum dare possint velintque? Possintne quidem et velint dare; quis vocet in dubium, nisi qui in Orientis Astronomis, Geographis, Historicis, Medicis ac rerum naturalium scrutatoribus plane sit hospes? Quis vestrum quidem, A. A., quos mihi, nuper paucos

tantum earum thesauros indicanti, assensum vestrum praebere laetus memini? Dederintne autem unquam? dubitet forte quis, cui non satis in mente versetur illius quidem temporis memoria, quo Arabes Europae, densa olim barbariei caligine obtectae, si non suavem eam, quam sibi, lucem reddiderint, omnino tamen ad illam suis ipsius viribus recuperandam et stimulum et exemplum praebuerint; quo igitur gratis posteris jucundas suarum virtutum et aemulationis recordationes dederint.

Si qui autem sint, ut vereor, qui de his dubitent, essetne ullum mihi tempus magis opportunum ad has recordationes commemorando renovandas atque ex annalium monumentis conquirendas, quam quo nunc quidem novum prorsus, atque alteri meo honorifice additum, Historiae Orientalis docendae munus solemni ritu adeundum sit? Amitteremne hanc, quo minus exspectatam, eo avidius captandam

dam occasionem, qua, hanc causſam agens, in illa Historia novam quaſi copulam videam, quae tres has ſorores amice jungat? Nonne hunc locum urgerem, qui, uti literis Arabicis fructui ſit et gloriae, ita Historiam Orientalem de meliore nota commendet, non vagis quidem et rhetorum more exaggeratis ſive utilitatis ejus ſive jucunditatis laudibus, ſed ſpeciminibus ex ea petitis, ſed factis adeo, non verbis?

Hoc igitur conſilio dicam *de Arabum meritis in literis medio aevo inſtaurandis.* In qua contemplatione, ſi tam literarum illa aetate conditio, quam Arabum in iis inſtaurandis merita, argumentum praebeant haud inutile, tunc vero, ut ſimplici orationi auribus animisque faveatis, A. A., uti a vobis etiam atque etiam peto et quaeſo, ita me vix dubitare ſinit inſignis ea, quam, ex hoc loco antea dicens, cumulate expertus ſum, vestra omnium benivolentia.

Qui-

Quicunque vel levisſime eam, quae medio aevo fuit, literarum conditionem conſideret, is, velit nolit, decrescentes literas cum florentibus olim in comparationem adducit, et in ipſo illo vigore primam infirmitatis originem detegit. Uti enim nimia hominis ſanitas vel ipſa morbus est, vel ſtatus morboſo proximus, ita videntur quidem artes et doctrinae, quum maxime apud aliquam gentem floreant, ſuamque quaſi maturitatem habeant, funesta decrementi apud eam gentem vel fovere vel acquirere ſemina, ſimulque praenuncia dare ſive ſubiti ſive lento gradu appropinquantis interitus indicia; cum aut prae nimia prosperitate langueant eruditi, nec perinde atque debeant in laudis et gloriae cupiditate verſentur, aut ingenia molli otio reddantur levia, atque adeo recta literas excolendi via pereat et ratio, verae in nugas degenerent doctrinae, earumque cultores aut tanquam ſenectute incipiant prope deſipere, aut, pue-

ro-

rorum inſtar, tantum non balbutire. Quis autem rem ita apud Graecos et Romanos comparatam neget?

Quam enim eruditionem ex Aſia atque Aegypto accepiſſe feruntur Graeci; quam acceptam, pro ingenio ſuo et induſtria, egregie perpoliverant; quam perpolitam ad faciliorem magisque perſpicuam diſciplinae formam habitumque reduxerant, noviſque artibus et doctrinis amplificaverant; quam magis perſpicuam atque amplificatam humanitati promovendae inſervire juſſerant; quam ſic cum humanitate junctam Romani, cum eos puderet ab iis doctrina vinci quos vicerant armis, a Graecis deſumſerant, nec deſumſerant tantum, ſed auxerant, ſed firmius ſtabiliverant, ſed per totum ſuum, qua late patebat, imperium propagaverant, ſed ad barbaras gentes in ultimis terris habitantes cum armis ſuis tranſtulerant; ea igitur eruditio, aureo in primis Auguſti

aèvo, tam ſublime perfectionis et gloriae culmen adſcenderat, ut majus quidem vix attingere posſe videretur. At vero, ut in ſimili, qua modo, comparatione verſer, uti, monente Seneca, urbium, imperiorum, gentium nunc floret fortuna, nunc ſenescit, nunc interit, ita literae in florentisſimo illo masculi vigoris ſtatu diu esſe vix posſe videbantur, cum variae cujusvis generis vicisſitudines, morborum inſtar, vires earum frangere inciperent, debilitatem et decrementum, tanquam appropinquantis ſenectutis, ſenſim iis inferrent, et tandem aliquando interitum minarentur. Quo enim tempore apud Graecos luxurians eorum ingenium; quo nimia ſcriptorum ſubtilitas; quo quaeſitus orationis fucus; quo nugarum et frivolarum quaestionum captatio decrescentis eruditionis haud dubia praebebant indicia; eo etiam omnia apud Romanos concurrere et, quaſi agmine facto, conſpirare videbantur, ut, quam literarum

lau-

laudem majores eorum languenti jam Graeciae eripuerant, et ſtudio atque industria Romam transtulerant, eam posteri eorum iterum amisſuri, et ſua vice ad alias gentes esſent traducturi.

Ne memorem enim omnes, quae primae huic malorum origini accesſerunt, causſas; ne dicam de barbarorum invaſionibus, terras, et ſcholas, bibliothecas et doctrinas delentibus; ne loquar de aliis; una illarum ſatis ſuperque detrimenti literis attulit, univerſa ſcilicet morum corruptio, quae bellis civilibus ortum dabat, per ea auctam imperatorum poteſtatem in tyrannidem vertebat, per hanc iterum, aut dominos reddebat vexatores ſaevos, aut ſubditos vel adulatores et levitati ac mollitiei deditos, vel animo cadentes et desperantes; cunctos autem ita tam corpore quam mente fractos, ut, ſi deësſent quidem vires atque animus ad barbaras gentes aut vincendas aut expellendas, deësſet utique in doctrinis discendis,

aestimandis, excolendis ardor et ſtudium, immo deëſſent omnia omnino ſubſidia ad eas ſustentandas, dicamne? ah ad panem acquirendum, et, quod Graecis et Romanis majori fere curae erat, ad ipſos ludos et Circenſes neceſſaria. Vultisne testimonia, unus nobis ad ea ſufficiat Salvianus, quinti ſeculi ſcriptor, quando nobis cum Romae tum Galliae incolas ejus temporis deſcribit: „ Praenoscebatur, „ inquit, captivitas, nec formidabatur. — Itaque „ barbaris pene in conſpectu omnium ſitis, nullus „ erat metus hominum, nec cuſtodia civitatum. „ Tanta animorum vel potius peccatorum coecitas „ fuit, ut, cum absque dubio nullus perire vellet, „ nullus tamen id ageret ne periret. Totum in„ curia et ſegnities, totum negligentia et gula, to„ tum ebrietas et ſomnolentia poſſidebant. — Sar„ donicis quodammodo herbis omnem Romanum „ populum putes eſſe ſaturatum. Moritur et ridet!".

Quid

Quid igitur? A. A. floruerintne, rebus ita conſtitutis, artes et doctrinae? an neglectae jacuerint et exitio proximae in profundisſimam ruerint barbariei caliginem? Barbariei utique tot quidem et tanta ſunt ſpecimina, ut non facile vivis coloribus deſtitueretur eorum deſcriptio, niſi horrori veſtro, quem incuteret ea, vellem occurrere: at caute tamen hic pronunciandum putem, ne in alterutrum ſententiarum de hoc aevo extremum incidamus; nam aderant etiam, quamquam pauci, qui literas colebant easque ab interitu prohibere conabantur. Et hinc, niſi totus fallar, alio potius nomine conſideranda est literarum tunc temporis conditio, eo ſcilicet quo continua quidem fuerit luctatio, ſed et, in haud bene compoſito certamine, continua etiam ignorantiae et ignaviae victoria.

Adfuit omnino haec utraque, quamvis haud ita aperte, mox a primis inde aerae noſtrae ſeculis,

quibus jam ſenſim labi incipiebant artes et doctrinae plurimae, quantumcunque nonnulli Imperatores eas ſustentare conati ſint; cum omnia Vespaſiani, Titi, Trajani, Antonini utriusque et privatorum quorumdam inter eruditos egregia ſtudia redderentur irrita, tam Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis et Domitiani militari imperio et dominandi furore, quam bellis disſidiisque civilibus et barbarorum invaſionibns; per quae tandem omnium animi ita cadebant, ut ipſe Seneca quereretur: „ Ad ſapientiam quis accedit? Quis dignam „ judicat, niſi quam in tranſitu noverit? Quis Phi- „ loſophiam aut ullum liberale ſtudium respicit?" Nec mirum! Eo enim jam res devenerat, ut optimus Imperator Alexander Severus filios pauperum deberet ſustentare ut doctores haberent discipulos.

Haec autem ſi eo jam tempore acciderint, colligite quaeſo inde, A. A. quam magis funestam

ſe-

ſequentia ſecula nobis offerant luctationem. Quantum enim bonae literarum causſae opitularetur Conſtantinus Magnus, optimis ad augenda docentium ſtudia, honores et commoda legibus, etiamnum in utroque Juris Codice obviis; quantum Julianus inſtruenda in porticu regio bibliotheca; quantum Valentinianus, Valens, Gratianus et Theodoſius egregiis de eruditione conſtitutionibus; tantum virium illis auferebat imprudens ipſius Conſtantini de mutanda imperii ſede conſilium; tantum Arcadius aliique, docentibus ſtipendia detrahentes, adulatoribus ſuis indulgentes, eosque eruditis praeferentes, et Juris Civilis ſcientiam libertinorum artificium facientes. Hinc, hinc utique tanta barbariei victoria, quantam verbis potius Ammiani Marcellini, quam meis deſcripſerim, cum ad eam horrescat animus: „ Ita rudes, „ inquit, ſunt nonnulli, ut nunquam ſe codices ha-

„ buis-

„ buisse meminerint. Et, si in circulo doctorum „ auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii „ peregrinum esse vocabulum arbitrantur."

Quanta vero luctatio, quanta alternis vicibus conspicitur, in utraque imperii sede, barbariei victoria, usque ad Carolum Magnum et post ejus tempora? Ne longus sim; summa tantum quaeque decerpam. Meministis in Occidente Romam ter uno seculo rapinis traditam; Italiam inter Longobardos aliasque gentes barbaras divisam, et in ea vix unum rhetorem Felicem tunc cognitum: meministis Berytum in Oriente, cum celebri Jurisprudentiae schola, vastatam; Athenis lycea clausa, negatis a Justiniano docentium stipendiis: meministis infelices inter Christianos lites, tam mutuarum, proh dolor! persecutionum caussas, quam literis maxime noxias. Et nihilo tamen minus hoc eruditionis et ignorantiae praelium iterum reddebatur anceps. De

vic-

victoria certabant ſtrenue Boëthius et Casſiodorus, nobile par amicorum; certabant pariter Benedictini in monte Caſino Monachi; certabat in primis Carolus, tam gloria quam meritis Magnus, et ſpem triumphi dare videbatur vix dubiam. Sed vero concidit illa brevi! Quis enim ignorat exiguam magiſtrorum tunc temporis in docendo dexteritatem? Quis arctos Trivii et Quadrivii, quibus ſeptem, ſic dictae, Liberales Artes includebantur, cancellos? Quis jejuna et arida, quibus hae docebantur, praecepta, nec ad ornamentum nec ad utilitatem cuiquam fructuoſa? Quis in primis ignorat, omnem ſpem iterum concidisſe, tum ipſius Caroli et Ludovici Pii, regni quidem non vero ingenii paterni heredis, bellis continuis, tum Normannorum invaſionibus et victoriis, quae magnam Europae partem ita afflixerunt, ut, teste illius aevi ſcriptore Servato Lupo, in plerisque provinciis, ipſaque

adeo Gallia, literarum nuper adhuc feracisſima, pauci finiente nono ſeculo ſuperesſent, qui eruditorum nomen tueri posſent? Immo, ſi vel hoc ſolum fuisſet, quis vestrum in ipſis Conſtantini Porphyrogennetae conatibus non perſpicit ancipitem illum luctationis et victoriae exitum? Difficile enim dictu est, utrum is ſive ſuis ſive aliorum ſcriptis, quorum auctor ſuaſorque fuit, literis inter Graecos, pro conſilio ſuo, profuerit, an illis detrimentum attulerit; cum, uti antea Iſidori Origines, ita nunc Eclogae, quas ex optimis ſcriptoribus excerpi jusſerat et colligi, ignavis jam Graecis ita ſufficerent, ut, fragmentis illis contenti, ipſos auctores antiquos negligerent, et tandem totos ſenſim ſinerent perire.

In hac tali quidem literarum in Europa conditione, quam de industria fuſius deſcripſi ut ſuum

in-

instaurationi earum ſtaret pretium, quid quaeſo, A. A., finem imponeret continuae huic et incertae luctationi? Quamvis enim ea inſignis fuerit utilitatis ad eruditionem ab omni ſaltem interitu prohibendam, probaverat tamen per tot ſecula aperte, ejusmodi ſingulorum hominum conatus nihil ad doctrinas inſtaurandas valere, inter populos ita corruptos et inter ſe diviſos, niſi, magis ſerena adſpirante fortunae aura, et melius componeretur certamen, et majori animo junctisque viribus certa reportari posſet victoria. Et ſane, quo tempore harum rerum ne tenuisſima quidem ostendebatur ſpes, accidit praeter omnium optatum, ut, quod toties frustra tentasſent alii, id, uno quaſi impetu et publica auctoritate, tentarent non tantum, ſed vero perſicerent Arabes, et ſic in causſa esſent, ut dein Graeci et Romani, non dico, doctrinas discerent, ſed ab iis, quos pro barbaris habuerant, ex letifero quaſi

ſopore excitati, in admirationem illorum abrepti, et eorum ardore inflammati, exemplum, quod imitarentur, ſumerent, et ad aemulationem accenderentur, ne eos puderet a barbaris vinci eruditionis inter ſuos reſtituendae ſtudio. Videamus igitur quanta cura et diligentia hoc opus medio aevo aggreſſi ſint Arabes, quanta in primis eorum Imperatores, e domo A b b a ſ i orti et Chaliphae A b b a ſ i d a e dicti: quorum quidem merita eo praeſtantiora ſunt, quo majores difficultates iis fuerint ſuperandae; quo pauciores ab aliis gentibus acceperint ſtimulos aut incitamenta; quo plus contra effecerint ipſi; et quo uberiores inde redundaverint fructus.

Si, quod praeclarum, idem ſoleat eſſe arduum, quot impedimenta his Abbaſidis non ſuperanda erant apud ipſos, quos literis beare vellent, Arabas! In tanta verſabantur atrocitate temporum, in tanta perturbatione rerum, ut doctrinas inſtaurare, in perdi-

tis

tis quidem et desperatis videretur habendum. Quod enim ab omni fere hominum memoria adeo floruerat elegantisſimae linguae indefesſum ſtudium, ut ea per innumeras, praeſertim Homeiritarum et Coreiſchitarum, tribus ſenſim perfectisſima et maxime venusta esſet reddita; quae ſemper obtinuerat popularis in ſententiis et proverbiis philoſophia; quae poëtarum ſumma, eaque inter omnes omnino, fuerat aestimatio, et ditisſima, maxime in rebus gestis et amorum deliciis canendis, vena; quae publice data fuerant ad poëſin et eloquentiam incitamenta; qui maximi, tam per communem aetate aequalium applauſum quam perennitatis gloriam, ſtimuli; qui tandem jam pluribus ſeculis per integrum quotannis menſem viguerat eruditorum, et poëtarum in primis, totius Arabiae conventus, praeſertim in foro Ocadh, ad palmam in poëſeos certamine, ſimulque celebritatem palma majorem, comparandam; ea igitur omnia ſtudia, illae concer-

tationes, illa incitamenta et praemia, Mohammede facto rerum domino et sub successoribus ejus, Chaliphis praesertim Ommiadibus, vel intermissa vel penitus fuerunt extincta; cum illius quidem non sacrorum tantum emendandorum studium, sed sensim orta dominandi libido, horum autem continua per omnem Orientem bella, et, bellis magis funesta, de successore Mohammedis inter Abubecrum et Alium dissidia, omnium animos aut deprimerent aut ad solius Corani studium verterent; atque adeo duo secula praeterirent, quae barbarie tantam fere doctrinis et moribus Arabum intulerunt noxam, quantam Europae medium aevum integrum. Et vel sic tamen a desperatione se ad spem revocabant Arabes; certi erant Abbasidae quasvis difficultates superare; certi erant auream suis aetatem reddere; et vero reddiderunt.

Enim vero non his tantum finibus continetur eorum glo-

gloria, ſed perpendite mecum, A. A., quam leves, immo quam nullos, ad haec aliunde acceperint ſtimulos. Incitaverintne eos vicinorum ſibi Graecorum et Romanorum, tunc viventium, industria et virtutes? Praeiverintne earum gentium aetate aequales Imperatores et Principes? Dederitne forte exemplum Adramyttenus ille Theodoſius, qui molestiis regnandi, literas inſtaurandi, et populos emendandi, molle clericorum otium praetulit, ſeque et filium incluſit monasterio? Dederitne Leo Iſaurus, qui Conſtantinopoli et ſcholam aulicam et bibliothecam et doctores, de cultu imaginum ab eo disſentientes, flammis tradidisſe fertur? Dederitne Irene, cum, fero animali magis fera, dolo captum oculisque privatum filium carceri traderet moriturum? Dederitne aut Irene ista aut Nicephorus, quos, foedere cum fidis ſemper Arabibus bis terque perfide fracto, deteſtabantur Abbaſidae?

Im-

Immo vero, in ſua potius patria, in ſuo ipſorum animo, meliores inveniebant ſtimulos et liberalia magis incitamenta. Praeiverat quidem magnus imperator Ali, Abu Talebi filius, quem qui noverit, noverit omnino et eruditionis principem et eruditorum Maecenatem; at illi tamen non hanc causſam tribuam, qui integro abhinc ſeculo jam erat mortuus. Aliud potius esſe putem, quod Abbaſidarum, ipſorumque adeo Arabum, animos ad eruditionem tam inflammaverit quam praeparaverit. Non enim, ut perperam nonnullis dicitur, doctrinarum amor apud Arabas tunc temporis penitus extinctus erat: latebant in plurimorum animis ſemina quaedam, quae irriganda tantum, ut ita dicam, et ad maturitatem perducenda erant. Haec ſemina ſparſisſe olim et ſenſim matura reddidisſe mihi quidem videtur Poëſis; cujus cultores tantum abest ut tunc esſent pauci aut ſere nulli, ut, a Mohammede inde us-

usque ad Abbaſidas, qui ab ea nomen et celebritatem acquiſiverint, centenum fortaſſe numerum expleant. Poëſis erat, quae, uti loquendi jus et normam ſibi vindicat, ita apud Arabas linguam intemeratam ſervaverat et ſervatam auctamque perpoliverat; uti ſenſum veri et pulcri acuit, ita eum apud illos conſervaverat, ſoverat et aluerat; uti ardore ſuo aliorum ardorem excitat, ita languentibus iis animum addiderat. Haec igitur, tam conſervato illo ſenſu quam excitato illo ardore, ingenia eorum ſenſim praeparaverat ad eruditionem et aestimandam et acquirendam, quemadmodum P l a t o n i s olim ad philoſophiam. Quod enim patriae amor valet ad heroum virtutem, id poëſis ad formandum ingenium, cum cultores ſuos, ut magna et utilia audeant, ut quod eſſe debeant velint fieri, et ut praeſtent quidquid difficile ſit et glorioſum, non tantum agat, incitet, inflammet, ſed et vires atque ani-

mum iis addat heroicum. Poëſis igitur erat, quae, uti postea Dantium, Petrarcham, Boccacium, ita nunc Abbaſidas reddidit tam elegantiorum quam ſeveriorum literarum inſtauratores.

Magna igitur cum fuerint eorum merita in impedimentis ſuperandis; majora, in generoſa, qua ſibi ſufficiebant ipſi, animi contentione; maxima utique ea ſunt in ipſa literarum inſtauratione, quam, quo ſusceperunt ardore, eodem perfecerunt. „ Tanquam „ enim bona valetudo, ut cum Cicerone loquar, „ jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati ſunt, „ quam qui nunquam aegro corpore fuerunt, ſic „ ea omnia deſiderata magis, quam aſſidue percep- „ ta delectant;" ſic ſuavem esſe doctrinarum lucem ſentiebant Arabes tunc, cum ea carerent; ſic igitur in ea revocanda omnem curam atque operam ponebant: idque non per breve tantum tempus, uti plerumque ſubito defervefcere ſolet ardor ejusmodi vehemens;

mens, ſed, quod miremini, a Manſuro quidem inde, ſecundo Imperatore Abbaſida, usque ad Moſtaſemum, qui, a Tataris Mogulenſibus ſub Chane Hulacu victus, eorum postremus fuit; atque adeo a a medio octavo ad decimum-tertium usque ſeculum. Rem inchoasſe Manſuro laudi cesſit, et gloriae ſemper erit maximae, cum, vix urbe Bagdado extructa et in ſedem regni conſtituta, qua animi magnitudine divinos honores, a fanatica ſecta oblatos, averſatus ſit ac respuerit, eo etiam ardore Philoſophicis et Mathematicis disciplinis Arabum imbuerit animos. Severiora autem haec ſtudia cum ſola nondum huic genti placere posſent, admiremini prudens Mohdii conſilium, qui haec iterum ſuavioribus, poëſi in primis, qua praecellebat, ac Societate muſica inſtituenda atque inſtrumentis muſicis ad cantum carminum adhibendis, ſapienter temperavit. Haec ita feliciter juncta paullo post excitandis eorum cultoribus auxit

 et

et ad emolliendos civium mores convertit Harun Raſchidus, qui, quod ſtudii ad doctrinas inſtaurandas dedit exemplum in familiari cum Carolo Magno literarum commercio, id etiam justitiae et probitatis amoris praebuit populis ſuis, ut, non ſolum, tanquam Aristides ab Athenienſibus, hic unus post hominum memoriam ab Arabibus ſimili fere cognomine Justus ſit appellatus, verum etiam, a Raſchido laudari, in proverbium de homine erudito et probo apud eos abierit. Omnes autem illos magno intervallo post ſe reliquit Mamunus, qui, uti ingenio, doctrina, conſilio et pertinaci animo, ita felici propoſiti ſuccesſu dubium reddidit, an in doctrinarum commoda meliorem unquam principem univerſa dederit antiquitas: unde et ex eo tempore, quo vixit, inſtauratio literarum apud Arabas ſemper computabitur, cum ad hujus exemplum ſe conformarint quotquot deinceps Imperatores

res aut ab eruditione aut ab ejus patrocinio nominis famam ſint asſecuti. Unum ex his nominasſe ſuſſiciat Wathecum, cui maximam omnium, et fere invidendam, prudentiae civilis laudem tribuit historia, quod in toto ejus regno ne ullus quidem fuerit mendicus. Atque his ſane omnibus, ſi in literis, ut Mamunus, ſumma non attigerint, pulcrum tamen erat in ſecundis tertiisque conſistere. Ne hos autem ſingulos percenſeamus, datis potius ſpeciminibus expleamus quam de horum Abbaſidarum meritis concitavimus exſpectationem, cum eorum, quae requirantur ad literas excolendas, nihil omnino, quod ſciam, fecerint reliquum, ſed participes ſint ejus laudis, quam optimi aliarum gentium principes ſummo ſibi jure ſint conſecuti.

Si Romani olim, quamquam tantum ſinguli, cum Athenas omnium doctrinarum nosſent inventrices; inde etiam artes agresti Latio inferendas esſe recte

censuerint; si ipse quidem Cicero eas adierit, et filium suum eo tanquam ad mercaturam bonarum artium miserit; quantum hoc nomine iis praecelluerunt Arabes! Apud hos enim doctrinas ex omni terrarum regione petere nec singulis ac privatis, nec fortunae relinquebatur arbitrio, sed opus hoc ipsi suscipiebant Imperatores, suscipiebat prae omnibus Mamunus. Dicamne de ejus cura in optimis cunctarum gentium libris conquirendis? Obstupescimus ad ejus studium et prudentiam. Eruditos, qui diversas edocti essent linguas, omnes convocat; cum auctorum tum librorum, quibus Graece, Persice, Chaldaice, Syriace, Aegyptiace illustratae sint doctrinae, nomina expiscatur et merita; indicato ingenti voluminum numero, ad Graeca obtinenda Graecorum imperatores adit, ad cetera suis sumtibus coëmenda familiares suos in Syriam, Armeniam atque Aegyptum mittit, qui reduces, spoliis Orientis onusti

onusti, immenſos numero attulerunt codices. Loquarne de ejus ardore in augenda per alias gentes doctrinarum ſcientia? Nihil ad has res negligebat. Uti enim Romanos non puduit a libertino Graeco, Livio Andronico, Tragoediam primum discere, ita nec Mamunum, licet Imperatorem, a ſervo Graeco ulterius inſtitui in dilectis ſibi disciplinis Mathematicis. Dicamne de eruditis undique ad ſe vocandis? Illuſtre, ſi quis unquam, et vere regium praebuit exemplum. Audiverat ab illo ſervo, vivere adhuc Conſtantinopoli Leonem Philoſophum, quamquam omni Imperatoris ſui ira cumulatum; mox ipſum largisſimis ſtipendiis in aulam ſuam invitat; non audentem prae metu, per legatos a Michaële Balbo petit, flagitat; nec flagitat tantum, ſed, datis literis multisque donis additis, ut votorum fiat particeps, pacem ei perpetuam et centena aliquot aureorum millia offert. Quonam

nam autem putetis successu? Pudet dicere. Imperator Graecus Arabi gloriam eruditionis invidet; cedere ei Philosophum negat; et Mamunus id tantum sibi relictum videt solatii, ut invidiam Imperatoris Graeci, reportatis de eo victoriis, puniat; cum Philosopho autem literarum commercium de rebus Mathematicis instituat, et hac via ab eo doceatur eumque doceat.

Quos igitur vel jam possidebant vel hoc Mamuni studio ab omnibus fere gentibus acquisiverant codices, ad hos Arabice vertendos alteram curam suam impendebant Abbasidae. Uti enim Graecos, Philosophorum in primis, libros vertendos continuo mandaverat Cicero, et haud paucos ipse Latine verterat, ita certatim Abbasidae alios verti curant, alios ad ingenium gentis suae accommodari et in Arabum quasi solum transferri. Nonnullos libros, ad quasdam quidem doctrinas, transferri jam jusserat Mansurus, horum numerum auxerat Raschidus,

et

et ad plures disciplinas extenderat; verſionibus autem, non omnibus forſan ex ipſo textu Graeco, ſed nonnullis ex Syriacis ejus verſionibus tantum factis, adeoque defectuum plenis, quae ſitim quidem lenire, non explere poterant. Praecipua vero gloria Mamuno iterum et Motewaccelo ſervata erat: hi non ex rivulis Syriacis haurire, ſed ad fontes ipſos recurrere; hi optima quaeque omnium doctrinarum opera ſeligere; hi aut meliores aut novas eorum omnium verſiones inſtituere; hi eas non e Graeca tantum lingua, ut vulgo creditur, ſed et Perſica, ſed Syriaca, ſed Chaldaica, ſed Aegyptiaca, quin ex Indica conficere, ſusceperunt. Immo tanta fuit duobus his Chaliphis hac in re perficienda animi contentio, ut ſocietatem interpretum inſtituerint, quorum, ad ſolos Medicos vertendos, quadraginta ſex ſunt cogniti, et ex his nonnulli, qui, ad Graecam lin-

guam probe addiscendam, ipſam Graeciam adierunt; tantus fuit cujusdam privatorum hominum familiae ardor, ut illi, Abu Soleimane teste, ad translationes eas promovendas quingentos ſingulis menſibus impenderint aureos. Junctis igitur his plurimorum, ad alia etiam opera, viribus tribuendum est, quod Hermes Trismegistus, Plato, Aristoteles, Theophrastus, Euclides, Apollonius Pergaeus, Pappus et Hero Alexandrini, Archimedes, Ptolemaeus, Hippocrates, Galenus, Dioscorides, Porphyrius, Cebes, Bidpai, immo Patres, qui dicuntur, Eccleſiaſtici, pluresque alii, ab Arabibus ſua lingua potuerint legi; quodque etiamnum nonnulla horum aliorumque veterum opera, jam Latine edita, plura vero ſcripta tantum, Arabice ſuperſint, quae Graece aut partim aut integra diu perierint, hic vero loci non recenſenda.

Ob-

Obſtupescitis, A. A. ad recordationem Herculei hujus laboris in tot voluminibus vertendis, quorum et numerus et moles terrorem afferunt; obſtupescitis ad immenſos ſumtus, quos illa requiſiverint, non dico ſi vertenda aut commentariis illuſtranda, ſed ſi vel ſolum deſcribenda ea fuisſe cogitetis, et vero deſcripta esſe tanta copia, ut per omnem Orientem fuerint abunde disperſa! Et ſic tamen minimam adhuc eorum industriae partem vidimus. Si ſemper admirati estis, ex eorum meritis, Ptolemaeorum, Piſiſtrati, Aristotelis, et Attalicorum regum, ſi Aſinii Pollionis, Augusti, Tiberii, Trajani, aliorumque in Bibliothecis inſtruendis curam; ſi Caroli Magni in Germania, Gallia atque Italia, ſi Alfredi in Anglia, ſcholas publicas inſtituendi ardorem; admiremini non minus principum Abbaſidarum in iisdem ſimilibusque inſtitutis munificentiam et ſtudium, ut literae majora incre-

menta caperent. Vultisne ſingulorum exempla? e magno numero pauca tantum ſeligamus. Academiam, ad quam tam Judaei et Christiani, quam Arabes admittebantur, Bagdadi conſtituit Raſchidus, inſigniter auxit Mamunus, inſtauravit dein et ad magnum gloriae culmen perduxit Moſtanſerus; alias inſtruxerunt alii tum Cufae, Basrae, Cahirae, Alexandriae, tum in ipſa Chorasmia, et Fesſae ac Maroccae, quin jam ineunte ſeculo octavo Cordubae in Hispania, et quocumque tandem deinceps in ultimas terras aut arma ſua aut imperium extenderint; tanto quidem illas numero, ut Leo Africanus in ſola Africa triginta celebres, in Aſia vero longe plures memoret. Scholis his publicis, ad omne doctrinarum genus inſtitutis, addiderunt in urbe regia Mamunus et Moſtanſerus hospitia in doctorum commoda aliaque aedificia magnifica; addiderunt ubique locorum plurimi

prin-

principes, a Raſchido inde ad ſeculum usque tertium decimum, inſtituta theoretica et practica ad artem in primis Medicam excolendam; addiderunt alii, eum et Mamunum imitati, Obſervatoria in Astronomorum uſum plurima, tum alibi tum in ipſa etiam Mecca dein exſtructa: ne loquar de Collegio, quod dicitur, Mostanſerico, a penultimo Abbaſidarum Chalipha tanquam auctore nominato, et ubique celebratisſimo. Quid porro Bibliothecas publicas memorem, quarum notisſimae Bagdadenſis, Alexandrina, Cahirenſis et Maroccana, quae ex magna parte in Escurialenſem tranſiit, Fesſana etiam, Tunetana et Conſtantinopolitanae plures, tot voluminum millibus conſtitisſe dicuntur, ut numerus ille, non minus quam in notisſima Alexandrina, a Ptolemaeis olim inſtructa, omnem fere fidem ſuperare nonnullis viſus ſit. Nec tamen miramur illum numerum, cum Arabum ardor

in Bibliothecis inſtruendis tam inſignis esſet, ut non tantum postremus Chalipha Mostaſemus, ad finem jam fere vergente imperio, alteram adhuc Bagdadi, narrante Fachreddino, uſui publico dicaverit, ſed et etiamnum ſuperſit deſcriptio Bibliothecarum in Hiſpania, cum Arabibus ſubjecta esſet, plusquam ſeptuaginta numero.

Haec autem omnia ſi mente revolvamus, difficile dictu, quid in his Imperatoribus magis venerari liceat, ſummumne literarum excolendarum ſtudium, an munificentiam in ſumtibus, eo conſilio, expendendis vere regiam; ita quidem, ut, ſi pro theatris ſuis Athenienſes dederint proventum tributi, ad ſumtus bellicos ferendos impoſiti, illi non pro theatris, ſed doctrinis, non tributa impoſita, ſed theſauros illos conſecrarent, quos ex victo fere toto Oriente, et ditisſima in primis Perſia, ſibi belli jure comparasſent immenſos. Non modo enim mi-

mirabile est, sed prodigio simile, quidquid vel fecerint vel impenderint, ut quoslibet ad laborem et laudem incitarent; nec sane quidquam novi, quod hic frustra requiratur. Estne aemulatio, inter periores et minus peritos excitanda et fovenda? Excitabatur ea, institutis Bagdadi et Basrae Societatibus eruditorum Literariis, immo sub Imperatore Mohdio Societate Musica; fovebatur ea, creato Marbadi, quales olim Ocadhensis et post multa adhuc secula Fessanus erant, conventu poëtarum et oratorum annuo, ad concertationem de praemiis composito. Suntne stipendia? Dabant ea, non parca illa, nec sorti cujusdam Diogenis forsan apta, sed ad studiorum fructus, sed ad vitae genus accommodata, sed lautissima; hisque Attalicis quasi conditionibus summos viros ad se accersebant undique. Suntne peritiae aut laboris et industriae praemia? Quis, ut haec tantum sumam, quis Raschido similis,

qui,

qui, ut remunerationi locus esset, servam eruditam, quam solò jussu suo liberare posset, viginti aureorum redemit millibus? Nec facile in historia invenies exemplum, quale Mamuni, qui pro unius Aristotelis versione Arabica tot auri solvebat, quot essent cujusque voluminis Graeci, pondera. Neque tibi occurret alterum ejusdem Principis factum, qui, soloecismum in sermone Arabico a se commissum quum modeste emendaret quidam Grammaticus, tantum abest ut de injuria sibi Imperatori facta quereretur, ut, meliora edoctus, reprehendenti quinquaginta denariorum donaret millia. Mitto honores, quos doctis quibusque viris tribuebant summos, et raram illam Watheci erga praeceptorem suum venerationem, qua ei advenienti de throno suo non tantum assurgebat atque ibat obviam, sed et aegre hoc ferentibus aulicis eodem fere dicto, quo suis patrum nostrorum memoria Henricus IV, re-

respondebat: eumne ſatis unquam venerer, cui et linguae uſum et Deum ea laudandi animum debeam? Mitto familiare, quod cum eruditis exercebant, commercium, ſive Judaei esſent, ſive Christiani, ſive Mohammedis asſeclae; quarum rerum omnium ſpecimina cumulare infinitum ſit. Mitto eruditionis exempla, quae dederunt illi Imperatores, qui nutu ſuo Aſiam, Africam, partemque Europae inſignem regebant, quosque tamen in doctrinis praeire videmus ut Antoninos. Mitto tandem illustre exemplum, quod praebuit praeſertim, uti fere in omnibus, ita et hoc nomine, Mamunus, non tantum ad dimetiendum telluris ambitum ſuaſor et adjutor, verum etiam Astronomicarum obſervationum, tum Bagdadi tum Damasci inſtitutarum, auctor, quae non niſi ejus morte intermisſae ſunt, ex quibus tamen notisſimae illae ortae ſunt Tabulae Mamunicae, etiamnum in Bibliotheca Escurialenſi obviae, quae aevum tule-

runt, quibusque ſi aliis postea compoſitis non prae-
celluerint Arabes, ſed tantum praetulerint facem,
id quod potuerunt, tempori tribuamus, quod fece-
runt, ipſis.

Dies me dicentem deficeret, ſi, uti animo volve-
ram, fructus, quos inde perceperint literae, per ſingu-
las disciplinas ſingulasve gentes commonſtrare vellem;
cum totus Oriens ad horum Imperatorum exemplum
fuerit compoſitus; cum eorum ardor in omnium
eruditorum animos transierit; cum ille etiam apud
vicinas gentes plurimos Principes et ſubditos iis red-
diderit aemulos; cum tandem in omni doctrinarum
genere ſcriptores protulerit fere innumeros. Ardo-
ris illius apud privatos homines excitati ſit exemplum,
quod cum Philoſophus J a h j a J b n J a h j a e ge-
minum A l e x a n d r i A p h r o d i ſ a e i commenta-
rium in duo A r i s t o t e l i s opera plusquam centum
aureorum pretio vellet emere, libros eos cum non-
nul-

nullis aliis mox alteri fervidiori ter mille aureis viderit venditos: ubertatem illam scriptorum vel inde colligite, quod, in sola quidem Historicorum classe, Hagji Chalipha recensuerit mille et trecenta opera. Quid plura? A. A. vos ipsi sedeatis judices, an quis unquam literas majori cura foverit Abbasidis; et non ne posteris eorum cum Quinctiliano dicere licuerit: „ Tot nos praeceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit videri nulla sorte nascendi aetas felicior, quam „ nostra, cui docendae priores elaboraverunt!"

Utinam igitur nobis aliquando adsint, qui, Nepotis, Suetonii, aut Plutarchi et Laërtii instar, eorum Imperatorum vitas et merita descripserint! Utinam nobis adsint, uti adsunt Arabibus, qui eorum laudes, ut Virgilius et Horatius Augusti et Maecenatis, carminibus praedicaverint! At vero, si vel ulla unquam de iis obmutes-

ceret vetustas, nulla tamen conticescet aetas de summo inter eos, Mamuno, quem non adulatorum laudes sed facta probant in bellis Caesarem, in Senatu Catonem, in eruditorum conventibus Antoninum, quique glorioso Maximi titulo condecorabitur, quamdiu maximus dicetur qui optimus, atque optimus, qui de humano genere optime sit meritus.

Tam multas vero imagines, ut cum Cicerone loquar, non solum ad intuendum verum etiam ad imitandum, summorum virorum expressas, quum scriptores Arabes nobis reliquerint, quas nobis semper proponere atque animum et mentem nostram ipsa earum cogitatione conformare possimus, jam nemo quidem erit tam injustus rerum existimator, qui dubitet, sitne adhuc commendandum Historiae Orientalis studium; cum, quae pauca de rebus gestis Arabum diximus, si speciminibus ex reliqua

alio-

aliorum temporum ceterarumve gentium Orientis historia explicare vellem, oratio posſit eſſe infinita. Quid autem eam dilatem? Vos testor, qui aut hujus Civitatis aut Illustris hujus Athenaei curam geritis, Viri Amplisſimi; Vos testor, quibus, pro vestra rerum intelligentia, adeo de ejus utilitate perſuaſum est; Vos, quibus, pro eo quo conſpicui estis literarum omnium promovendarum amore, tanta etiam Orientalium cura est, ut Historiae Orientalis, cum Civilis tum Literariae, docendae munus, antea inauditum, non dicam, primi in hac urbe, quod magnum esſet, ſed primi in univerſa Europa, quod maximum est, pro ſapientia vestra decreveritis; idque hoc quidem tempore, quo, cum multa ſint quae aetatem nostram prae prioribus ornent, tum vero illud haud inter minima cenſendum ſit ſtudium, quod in indagandis priscarum gentium rebus verſetur. Mihi vero, ſi difficilis quidem haec at jucundisſima

tamen provincia, ſingulari vestro favore, ſit oblata, haec eo in primis nomine valde accepta est, et maximas, quas capere potest animus, Vobis agere jubet gratias, quod, ſi vel huic operi impar ſim, decretum ſaltem illud vestrum indicia praebeat laetisſima, conatus meos ad literas Orientales excolendas Vobis haud plane displicuisſe. Si vero meae me deprimat tenuitatis ſenſus, demisſum tamen animum meum ea ſpes allevat, nec mihi ardorem defuturum, nec Vestrum unquam favorem cesſaturum esſe curfenti calcar addere, ut, ſi vel mihi, ſive virium defectu ſive temporum injuria, non liceat esſe tam felici ut publice praestem quae velim, id ſaltem conſequar, ut alios ad Orientalia ſtudia ardore meo accendisſe, et viam ad majora olim praeſtanda monitis et exemplis praeparasſe dicar. Harum igitur literarum Vos ſitis ſemper, ut estis, patroni! Atque hoc etiam nomine, quanta inſtauratae eruditionis ubique terrarum

ce-

celebretur laus Mamuni, tanta ornatae atque amplificatae sit Vestra apud gratos semper posteros!

Et haec quidem ornatae atque amplificatae omnis eruditionis laus jam Vestra est, Clarissimi omnium doctrinarum Professores, collegae mihi conjunctissimi. Quod enim insigne Mamuni, exiguo viginti annorum spatio literas instaurantis, exemplum nos docuit, quantum quidem junctis viribus in literarum commoda brevi tempore praestari possit, id Vestrum, si quod unquam, confirmat studium, quo hujus Athenaei splendorem paucissimis annis ad tantum perduxistis culmen, ut dubium sit an ulli cedat. Hujus igitur gloriae cum me faciatis participem, Vos quidem, quibus etiam Orientales non sordent literae, operam perderem, si Historiae Orientalis studium Vobis, rerum peritis, vellem commendare, cujus necessitatem Vos ipsi mihi, hanc provinciam

nac-

nacto, luculenter estis testati. Quo itaque libenti animo, per omne quo hic docui tempus, literis Orientalibus favistis et me amicitia vestra estis complexi, eo etiam et illis et mihi favere pergite. Reducantur, Vobis praeeuntibus, felicia illa Scaligeri, Casauboni, Salmasii tempora, vel potius, ita ad ingenium nostri aevi adaptentur, ut inter omnes disciplinas intima sit cognatio, idemque eas jungat verae eruditionis studium. Det Tua in primis; Lennepi carissime, disciplina literatores, qui Historiae etiam Orientali, uti strenuam navent operam, ita ad eam non rivulos, sive illarum gentium, quibus Oriens vix erat de nomine cognitus, sive turbidos illos scriptorum medii aevi consectentur, sed ex ipsis fontibus Orientalibus hauriant; ut his etiam meritis crescat et Tua et Vestra omnium et hujus Athenaei gloria!

Im-

Immo haec ſparta Vobis demandata est, Juvenes optimi, qui tanto ardore in literas Orientales incumbitis, quanto quis maxime; haec Vobis etiam, qui, laudabili inſtituto, Graecos et Latinos ſcriptores nocturna et diurna manu verſatis. Eos quidem parvi facere, est eos non noſſe. At commonſtrarunt tamen principes illi viri, quorum non ſine veneratione ſpectatis imagines, etiam ſororio vinculo Muſis his Arabicas non infeliciter jungi. Quamvis enim non is ſim nec haberi velim, qui Arabas commendem quo nomine Graecis et Latinis longe cedant, cum intime mihi perſuaſum ſit, nimias laudes haud minus nocere, quam imperitorum clamores et vituperia: haud tamen erubesco aperte palamque dicere, Historiae illorum ſtudium eſſe tam ad utilitatem uberrimum, quam ad ſuavitatem jucundisſimum; niſi inutile aut injucundum ſit gentes cognoscere et antiquisſimas et literis aeque ac rebus gestis conſpi-

cuas.

cuas. Sunt forsitan, fateor, res magis necessariae et minoris operae; at nostis lepidum Ciceronis ad ejusmodi sermones responsum: „ tamen ego me „ Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum „ tignarium." Videant igitur alii sibi viam illam operariorum aut bajulorum expeditiorem ad vulgi plausus et vilem mercenariorum quaestum, sed (liceat iterum Ciceronis verba in rem meam vertere) Vos semper ita sentiatis, talem vos ardorem, talem industriam et vestrae laudi, et literarum incrementis, et vero patriae debere. Caveamus igitur junctis viribus, caveant et provideant posteri, ne, aut socordia aut perverso procellosorum ingeniorum studio, redeat unquam funestum istud barbariei aevum; sed, si quid vota mea valeant, floreant in patria nostra, floreant in hac urbe, artes et doctrinae verae tot seculis, quot floruerint olim Bagdadi!